

# ~ ORATIONES ~

*Dicendæ cum sacerdos induitur  
sacerdotalibus paramentis*

## ~ CUM LAVAT MANUS

**D**a, Dómine, virtútem  
mánibus meis ad  
abstergéndam omnem  
máculam : ut sine  
pollutióne mentis et córporis  
váleam tibi servíre.

## ~ AD AMICTUM

**I**mpóne, Dómine, cápiti meo  
gáleam salútis, ad  
expugnándos diabólicos  
incúrsus.

## ~ AD ALBAM

**D**eálba me, Dómine, et  
munda cor meum : ut in  
sánguine Agni dealbátus,  
gáudiis pérfruar  
sempitérnis.

## ~ AD CINGULUM

**P**ræcinge me, Dómine,  
cíngulo puritátis, et  
extíngue in lumbis meis  
humórem libídinis : ut  
máneat in me virtus continétiæ, et  
castitátis.

## AD MANIPULUM ~

**M**érear, Dómine,  
portáre manípulum  
fletus et dolóris : ut  
cum exsultatióne  
recípíam mercédem  
labóris.

## AD STOLAM ~

**R**edde mihi, Dómine,  
stolam immortalitátis,  
quam pérdidi in  
prævaricatióne primi  
paréntis : et quamvis  
indígnus accédo ad tuum sacrum  
mystérium, mérear tamen gáudium  
sempitérnium.

## AD CASULAM ~

**D**ómine, qui dixísti :  
Iugum meum suáve est,  
et onus meum leve : fac,  
ut istud portáre sic  
váleam, quod cónsequar tuam  
grátiam.

Amen.

